


LIBRARY OF THE

CASE 12

SHELF G

CATHOLIC CLUB.





R.

BERNARDI HEYMBACH

DIATRIBA

HISTORICO - EPISTOLICA

De nupera Vegerræ apud Sunicos

SEV

VRBIS AQVENSIS

DEFLAGRATIONE.

Item ejusdem

VRBIS PROSOPOPOEIA

Aliaque.



LOVANIÏ;

Typis HIERONYMI NEMPEÏ ANNO 1657.

R2434 1999.3479

HB.RA


CHIMIE - CHIMIE

chimie organique

chimie organique

chimie organique

chimie organique



BIBLIOTHEK
DER
TECHN HOCHSCHULE
AACHEN

LECTORI.

FVnestissimum, Candide Lector, URBIS
AQVENSIS calum in hac DIATRIB-
BA, ceu imagine aliquâ, spectandum Tibi exhi-
beo. Si quid extra casum videbitur, puta fa-
ctum, vel ut tuo fastidio; vel ut mea in illum propter quem,
& ad quem scriptus, observantia consulerem. Tamen in
presenti instituto te morari eruedis verustâ Urbis incunabulis,
recensendâ Cæsarum Principumque, qui eam
in, & excoluerunt serie, primis Monasteriorum Templo-
rumque adificatoribus, aut vallis cui insidet, amoenitate;
prorsus supervacuum duxi, & actum iam à pluribus exi-
mia fama Topographis agere. Cur ergo hæc nunc prius?
& ita προδιῶν ἕξῃ; habes in ipso ad Diatribam
ingressu. Deinde, malo audire narrator serus, quàm non
ἀυτὸπλῆς; nec in tantillo ἔσορξιν πρὶν ἰσορῆσαι. Vnde
non leges nisi visa mihi, aut post sedulam inter ipsa rude-
ra perscrutationem accepta ab oculatis testibus. Nec vitio,
spero, dabitur, sic falcem in exteras me immisisse messes;
veluti enim omnibus in communi hoc Musarum domicilio
earundem patet ianua, ita devota ipsis, quantulacunque
hæc opera nostra, ultra domesticas oleas excurretis sine
nota. Sed quò id! ἀυτὰρ ἔπετα, & quæ ultrò offerimus,
iure quodam modo suo exigere poterant Illi, qui eundem,
quem Brabantia Ducem, soliti fuerunt habere ADVO-
CATVM; & cuius plus quàm munus, ALBERTVS
Belgarum Princeps, sub huius * sæculi initium ex-
plevit,

A 2

Nicol. Heluicus. Histor. lib. 4. ad annum M. xv.

plevit, dum talem se Aquensibus Hyperassisten & vindicem (Cælaris nomine) præstitit, ut hanc suam etiamnum ipsi tranquillitatem libertatemque ultro in acceptis referant. Tantum Te volui. Vale. At heus, inquis, Aquisgranum Vegerra! Et apud Sunicos? sic credo. & quare: dixi in prælectionibus publicis ex Germania C. Cornelij Taciti; dicamque pluribus, si Superi favebunt, in Enarratione Commentariorum Iulij Cæsaris; eoque fidentiùs de Sunicis, quia in hoc meo sensu præter alios, video quoque nuperum, sed circumspèctum sanè diligentemque per omnia vetustatis scrutatorem Godefridum Henschenium lib. 1. cap. 11. Diatr. de Episcopatu Trajectensi ad Mosam. Vide & Tu ipse, & Vale iterum. Lovanii, viii. Kal. Aprilis 1700. 1700. C. LVII.

BER-

BERNARDI HEYMBACHI^s
D I A T R I B A
HISTORICO- EPISTOLICA

De nupera Vegerræ apud Sunicos,
seu Urbis Aquensis Deflagratione.

Item ejusdem Urbis *Prosopopœia*,
aliaque ad

Virtutum juxta ac Stemmatis, doctrinæ & di-
gnitatis splendore conspicuum, & sic
sæpius nobilem,

D. IACOBVM DE EDELHEER,

ÆQVITEM, S. P. Q. ANTVERP.

*à Consilijs, Causisque publicis primum, inter Ordines
Brabantia, & Delegatos ad Cameram biparti-
tam VII. viros Assessorem.*

PAVCIS retro diebus, Prænobilis & Am-
plissime Vir, negotij quippiam apud Ebu-
rones peragundi, ad eorundem me tra-
xerat Metropolim; ubi vix aureo malo, ab annis
mihi diversorio, successeram, cum ecce! Noster
ille ἐπαιρα ἀπίστος, & quo nemo secundum ipsas

6. . . BERNARDI HEYMBACHI

Gratias seu humanior seu syncerior spirat, *Franciscus Selys*, & hem Heymbachj ! te ne hoc loci & alibi quam domi meæ ? Nunquid *Coloniæ* me duxisse litteris Tibi indicavi ? vel an metuis ne adventum tuum major apud nos fumus vicinæ prodat ? parce metu : faxo cognoscas quam tibi sim familiaris. Bona verba, inquam, amicissimum caput, & sciveris quæ in me culpas, non aliundè quam à justo pudore esse : *Coronam* enim oblitus sum, sine quâ ædibus tuis à me pedem inferri haud decorum putavi. *Coronam* ? Ille, & cujus vertici ? *Larvum* tuorum respondeo, ut

Tibi nova ista tua habitatio

Bona, fausta, felix fortunataque eveniat. Concusso leniter capite renidens *Selys* lepidè ædepol, inquit ; dummodo hæc vota caudam non trahant secum, quàm ipsæ appendit *Callicles* in *Trinummo*. Dij Deæque omnes connubiales averruncent, aio ; scio namque quàm Tibi melius cum Tuâ Charite conveniat. At *Coronario*, subiungit Ipse, si tibi esse libeat, plenâ messe *spicas*, aut sylvâ *platanos* suppeditabunt in vicinia *Grani Aquæ*, quarum nupera deflagratio vel hîc sudorem nobis expressit, horrore certè neminem non percudit. Dum tam propè venisti, accede, quicquid est, oculis præsens usurpa, & in chartas victuras refer. Nunquam meliùs sibi constat Historica scriptio, quam dum ocularis suffulcitur tibi cinibus. Ea autem texetur *Aquensibus* larvibus.

Corona,

DE AQUIS. DE FLAGRAT. 7

Corona, quâ vel tantum ipsi sua damna solabuntur, alij non ignorabunt. De his ergo tu suo loco, nos jam in cœna factum eamus Amicitiz Genio, *Coronatumque philotesium*; sine quo si siccos nimium æstimarunt, syncerissimos licet affectus, Græci & Romani, quid nos in Lythantracum Patria? quod si denique *Socratem Balsazianum* Syndipnosophistam non abnueris, nec hîc porticum Grudiam desiderabis. Ad ultima ista tua, subjungo, nosti quam non multis me habeas impetrabilem. Quod ad priora: quamvis apud alios pro tantis vulneribus, ut par est, repræsentandis, melius hi tui impendi potuissent stimuli: tamen rem testem dabo, non plumbeos apud me fuisse. & non tractâ nisi tridui morâ Leodici, iter *Aquis Granum* devoravi:

Ubi herculè, quantumcumque tetra, desolata, luctuosa, mens absentis adumbrarat, longè tamen majora præsentis oculos funestant. Primus statim aspectus stupentem aliquamdiu & diffuso per totum corpus gelu, sine voce tenuit; quæque solito reddita non fuit muneri, nisi è strangulantibus eluctata suspirijs *Troiani illius* patriæ urbis lamentabiles flammæ narraturi:

----- *Quis talia fando*

Myrmidonum, Dolopumve aut duri miles Vlyssæ

Temperet à lachrymis?

Quingentæ & plures ultra quina millia ædium sepulta jacent in suis cineribus: Ex amplissima

8 BERNARDI HEYMBACHI

Curia nihil relictum præter muros. vetustate, magnificentiâ & religione angusta ex æquo Basilica, quam CAROLVS M. Imperator DEIPARÆ VIRGINI erectam sacraverat, turri detruncata est, tectoque magnam partem denudata, nec sine magna chori, qui opus pulcherrimum, deturpatione. Reliquæ omnes domus sacræ, Cœnobîa & Tempia par cum profanis ratione in flammis & favillas abivere. Soli, propè soli strictiora Divi *Francisci* instituta professi (*Capucini*) in medijs ignibus ab iisdem mansere immunes: uti & horum in asperitate vitæ æmulatrices, sub signis Sanctæ *Clare* merentes Virgines. Ex ruderibus murisque collapsis plateæ passim opplete, quaquaversum unus apparent tumulus. Transendum velut per colles. Incolas ad hypogæa, subterraneaque domuum consumptarum necessitas compulit; & pluribus opulentijs & amplis familijs nunc unum idemque antrum, aulæ, cœnaculi, cubiculi, Penuarij, & omnis urbanæ vel commoditatis vel luxus vices facit. Aliqui subitarijs, non plus quam tugurijs, inter ruinas excitatis ab æris se defendunt injuria: plures etiam molitionibus novarum ædium insudant, vel ut hyemem tutiore aliquo receptu antevertant, vel compendio alios vel famâ. Incitati ad hoc plurimum hortationibus & exemplo providi *Senatus*, cujus primus labor *Curiam* pristino decori restituere. Unde numerosa artificum manu vasta illa murorum

DE AQUISG. DEFLAGRAT.

rum substructio, quàm ignis vincere non potuit, infra supra resonat : certamine quodam inter operas, quâ parte citius prior reducatur facies, sed non sine minore eorum, qui præsunt urbi, seu prudentia seu constantia spectetur, laude: quippe, sic cives dispersi, aut animo dejecti, ad bonam spem, & urbem revocantur; nec dubitant iterum ei loco sedem fortunarum suarum credere, cui caput rerum de novo fidisse Rectores suos vident. Non secus ac post naufragium mare iterum tentatur; & olim Romani post passas Senonum furias & faces, non timuerunt è cineribus Romam suam resuscitare. Non aliter Nobile Canonicorum in proximo Collegium *regij sui Delubri* intendit restorationi. Chorus solitâ testi altitudine exsurgere jam tum incepit; turris compaginationi sedulò instatur; nec vidi ubi circa universam Ædem opus non serueret. Facto quoque splendidissimi Cleri ex prima pietatis laude: quandoquidem Dei honorem & cultum eò magis jam præ oculis & cordi habere censeatur in acceleranda templi sui reparatione, quò urgentior ejusdem necessitas, & major frequentatio in aliorum defectu, & difficultate tam subitæ restitutionis. Indubitatum denique per hoc reddit se non solum esse possessorem splendoris & opulentiae, quam piæ CAROLI liberalitati fert acceptam: verum etiam affectus, quo hic ad provehendas, quantum potuit, in majus laudes

10 BERNARDI HEYMBACHI

divinās se effudit, quem postea alij Cæsares, & Reges in eodem templo vel ampliando vel munificentissimè locupletando imitati fuerunt. Quorum numero ante aliquot annos accessit SERENISSIMA ISABELLA CLARA EVGENIA, Philippi II. *Catholici Regis Filia*, Caroli V. *Neptis*, à mortè mariti sui, ALBERTI Pij, Belgicæ gubernacula sola & sapientissimè moderans. Non vulgaris hujus in virginem Cælorum Principem amor & munificentia, sæpius Provinciarum suarum limitese-gressa; egregio hūc apud posteros testata manent monumento; quod inferere metam præfixam transgredi non æstimavi; & quia esse posset lectori tam tristium velut quoddam condimentum, vel, si alibi etiam spectetur, ad liberalitatem pro divinis Ædibus hoc tempore exercendam incitamentum.

Serenissimæ & Potentissimæ *Isabella Clara Eugeniæ*, Hispaniarum Infantæ, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, Belgij Principi &c.

Cum pro devotionis affectu erga Regalem hanc Basilicam, eidemque inclusas sacras reliquias nota, varia illi & pretiosissima donaria Regali munificentia obtulisset: miraculosa Virginis Statua Deoque Infantulo binas coronas aureas, vestesque multo argento intertextas

DE AQUIS. DE FLA GRAT. II

tertextas & quamplurimis lucidissimis & pretiosissimis
geminis, & unomibus illustres dedicasset: binas augustio-
res aras Antependijs, cortinis, peristromatibus,
pulvinaribus, mappis, fimbriisque artificiosis
exornasset: sacrarum vestium numerum Insulâ, Dalma-
ticis, Pluvialibus, Pulpiti tegumento, Velis, Bur-
sis, Albis, Corporalibus, Purificatorijs & manu-
tergijs adauxisset; sacrosanctas maiores reliquias novis; &
multo auro, unomibusque elaboratis involucris, liberali-
ter & munificentissimè cohonestasset.

RR. di ET NOB.

Decanus & Capitulum, eternum grati,
ad perpetuam memoriam P. C. Anno 60.
I D C. XXIX.

Redeo ab his ad devastationem Urbis, cujus
quàm tristis scena, tam varius de ejus authore &
initio, quod fuit circa octavam matutinam, po-
stridie Kal. Maij, 60. I D C. LVI. sermo. De nul-
lo tamen magis consentiens fertur, quam de Pistore
quodam, in cujus ædium supremo tabulato car-
bones malè sopiti custoditque revixissent, & tecto
statim correpto superiora domus inflammassent;
flamam aluisset laridum, cujus ingens copia & in
eadem domo, & vicinis, à rustica gente eò ad
custodiam collati: tum scandulas ipsas, ex quibus
domuum plerisque tecta. Accessisse ventos non so-
lùm impetuosos, verùm inter se velut cõsigen-
tes:

12 BERNARDI HEYMBACHI

tes: inde latè & in diversas partes simul diffusum
 celerrimè incendium: alibi ima, alibi apices tur-
 rium ædiumque primò invadens: obnoxius æquè
 ut contiguus, sic & longo vicorum aut arearum
 interjectu determinatis. Putant tamen orienti
 malo validiores potuisse obices poni, nisi à Ci-
 vibus armatis discursum ad portas fuisset iussu
 Magistratus, suspicantis hostiles dolos: & suspi-
 cionem acuate, sine dubio, memoriâ tumultu-
 tum aliquando intra mœnia sua concitatorum;
 & qui compesci non poterant, nisi per arma ex-
 terna, & quamvis tunc salutaris, non soliti tamen
 in libera urbe Domini. Quapropter unanimis fer-
 riusque ad opem concursus ante non fuit, quam
 debacchatus jam ubique flammarum furor reme-
 dia prævenisset: in quæ haud parvi momenti ha-
 bentur, urcei missiles, curulia labra & syphones;
 scalæ, harpagones, & quæcunque tandem machi-
 næ incendijs extinguendis parari & servari solitæ:
 quas ante ullum sui usum rapacitas ignium
 præoccuparat. Demùm nihil magis omnes à cœ-
 pto avertit, quam muralia ex ære tormenta, vi
 æstus horribili fragore & strage in ipso armamen-
 tario exonerata; & mox rumor ab aliquibus, ut
 raptus licentius exercerent, disseminatus, turrim
 ingentem, pulveris pyrii, seu tormentarii recepta-
 culum, in eodem stare discrimine. Inde quanto
 ocyus paventium fœminarum lamenta, viris om-
 nis resistendi animus abjectus; hi sibi, hi alijs
 consu-

DE AQVISG. DEFLAGRAT. 13

consulere ; validiores ætate fessos aut nondum validos trahere, omnes ad tuta festinare ; nec de ullo jam ulterius solliciti, quam de vitâ. Quamquàm & hujus plurimi, patente licet effugio, hæserint ambigui, donec extra portas evasissent, incidente persuasione, fatalem illum mundo adesse diem, quò expiatrix omnia flammis haurienda.

Atquè hoc modo indomitus ignis relictus sibi, continuâ violentiâ grassatus fuit, usque dum vel vacui campi, & cælum occurreret, vel non usitato Dei auxilio sisteretur. Quod posterius creditum fuit ad *Capucinorum* Alceterium ; fidemque hanc auxit tum firmissima in Deum fiducia, quando proximis circa ardentibus omnibusque clamatis, nil aliud quàm calidissimas preces & vota flammis offudère: tum *candida columba*, quæ nec fumo nec æstuanti vapore territa, templum placido circum volatu lustrare visa fuit, & tandem in ejusdem culmine immota consedit, nec citius videri desijt, quam templo ab ignibus esse periculum.

Sed dubites an major atrocitas hujus cladis an celeritas fuerit. *Decem & octo horarum* intervallo civitas tot egregijs ornata monumentis & templis : aquis scaturientibus, & passim interfluentibus irrigua, in ignes subsederat : tam varia venustatum delectamenta, & eximie, ut cum Romano Architecto loquar, tot ædificiorum auctori-
tate,

tates in fumum evanuerant.

Qui profundius rem scrutantur, flammarum vires ab ipsa etiam soli natura auctas asseverant: nec prorsus, ut videtur, ex vano: cum illud enim sulfuris & bituminis fœcundum, accendi & accendere juxta pronum, æstus desuper penetrans, subsœcus generata, in sui incrementum elicit. Vel quia terra fortè alicubi cavernis quibusdam fistulisque pervia, acriore, ut tunc erat, vento per harum spiramenta incumbente, ignis subterraneus sursum eluctatus, alterius violentiam intendit. Hujus indicium non obscurum circa *Thermas*, ubi lapides, quibus instrata fundamenta, magis ima sui parte, quam superiore depasti, etiamnum monstrantur: *Thermarum* vero ipse humor in ignes rarefcere visus, ipsdem insusus plus olei vires, quàm aquæ congenitas exseruit.

Nec defunt, qui in iratos Superos tantum initia referentes, affirmant, delapso igneo ex aëre *globo* domum memorati Pistoris, in vico Divi Jacobi, ardescere primò cæpisse, auditumque sæpius ipsum blasphemâ avaritiâ tartareos ignes frumento, si præter expectationem pretium decresceret, & *panibus* imprecari.

Qui aliena à nobis fidei instituta sequuntur ibidem loci, divini Numinis hanc vindictam ajunt provocasse cultum *sacrorum lipsanorum*, quorum, quam locuples thesaurus, tam veneratio plus

DE AQUISGR. DEFLAGRAT. 15

plus quam usitata singulis septennijs, quando pietas ab ultimis Europæ angulis immensam hominum multitudinem ejus lustrandi excire consuevit; idque frequentato à vetustissimis temporibus more, & cum non nisi post sæcula adhuc in Occidentis imperio præsentium Iconomachorum furor, & è Gebennensi præcipue lacu, erumperet. Sed contra cujus propugnatores in præsentī sacre telum ab illis ipsis Aquisgrani sacris Divorum exuvijs suppeditatur: nam quibuscumque tandem sævitia ignis passim pervagata non pepercerit, hæc immunes mansere, nec tacta *Hierotheca* illa, famâ & cultu celebratissima, in Mariano & Principe delubro, ipso tamen partim absumpto, ut dictum, & flammis ubique pertentato. Vel si hoc potius casum velint Copronymi iconodactæ resuscitatores, quàm peculiaris divinæ curæ beneficium, velim ego ut ergo dicant, an viginti jam & quinque annis & eodem mense ante *Aquisgranense* bustum, etiam *Parthenopolitani*, seu *Magdeburgicum* piam custodiam honoremq; sacris depositis apud mortales à Dei Amicis relictis impensam fomites habuerit? & an non ita pridem *Delfi* apud Batavos? & à paucis ab hinc mensibus *oppidum* apud *Marsos*, ex hebdomadarijs Neographorum adhuc notum schediasmatis? scilicet ea mentis semel à recta fidei semita deflecentis cæcitas est, ut non solum à multis sancte huc usque observatis in errorum detestabilium ambages

ges incidat, verum eorundem etiam observationem in crimen torquens, ipsum boni fontem, ut Lernam malorum, excretur. Quanquàm *Magdeburgenses*, quos ultra sæculum tunc luthernæ pravitatis laquei implicitos tenebant, tam gravi ictu sapientiores, ipsimet facti fuerint, urbis suæ res hætenus protectas provectasque, exemplo sublabi retro & omnino fatiscere cæpisse, ex quo corpus *Norberti Episcopi*, *Divi Tutelæ*, non aliter ac palladium suum, Præmonstratenfes inde avexissent. *

Nec assensum ijs hîc accommodo, qui faces, quibus urbs ardere cæpit, à perverso *balnearum* usu, seu cupidineis facibus accensas conjectant: nimis enim hæc cæca conjectura est. Nec solæ hæ *thermæ* sunt, in quibus natantes ad illicita possint incallescere. Alibi & extra calidas has titillantesque charybdes frequentius & sædius forsitan submersi pudoris subitur naufragium, & ostendi possunt *Sirenium* scopuli non minus jam, quam

Difficiles illi quondam multorumque osibus albi.

Ita *Nerone* imperante talis fuit Roma, qualis ipse Imperator, ille, ad cujus monstrosas libidines obstructis auribus Gomorrhæi erubuisse: & tamen sine incendio erat, nisi eundem quem Imperatorem, etiam habuisset incendiarium. Plura sunt, quibus non solum vulgus; sed etiam sapientiores irritatum Cæleste Numen differunt, &

ultrices
* Pet. Bapt. Burgus lib. 2. de bello Suec.

DE AQUISG. DEFLAGRAT. 17

ultrices has excitatas flammæ: sed quæ referre operæ pretium tam parum duxerim, quam nemini ignotum est tot alijs urbibus eadem cum illa *Grani* communia.

Et ad quid homullus aliquis, animæ salillum
— *divinis minorem.*

Consilij animum fatiget?

Dum hæc scribo narratur mihi litteris Amicorum ex Austria, *Vienna*, & circum, in summa hujus ætatis apud nos siccitate, densis & diuturnis pluvijs ita omnia fuisse inundata, ut apertis iterum cæli catharactis per secundum diluvium putarint rebus humanis imponendum finem, sicut *Aquisgranenses* putarunt per ignem. At cui exploratum est cur ibi Deus vindices operari sibi voluerit aquas in mortalium castigationem, sicuti hoc loco flammæ? ubi homines, ubi non etiam delicta? clades? & inexhausta dolorum materies? sed an ob hanc potius, quam illam; hujus potius, quam illius noxam ab illo omnium Potente permittatur, nemo novit præter permittentem, aut cui ille inspiciendam dedit decreti sui diphteram. Hujus ergo arcana religioso potius silentio & tremore veneremur, quam in tanta intellectus hebetudine ipsæ nos ingeramus. Imo si fieri posset, ut sine supremo illo Rectore, ejusque cura mundus hic subsisteret, neminem tamen ejusmodi in eo catastrophæ movere, nedum concutere deberent: mundus enim quia

mundus, hoc sibi proprium haberet, nihil unquam constans habere, nihil perpetuum, aut ab exitio, serius citius, ab alijs, aut à se ipso metuendo securum. Verum his ad Philosophorum cribra ablegatis, excutiendo insiltamus incendio: ante & post quod diversa se obtulerunt, seu casus, seu peculiaria divinæ providentiæ beneficia, digna certè quæ profundioris scrutaminis fiant argumenta. Ex pluribus pauca hic tantum attexam. & ante cætera, quod acerbissimam hanc cladem aliquot, priusquam eveniret; diebus, mente, nescio quid sinistra, & incumbentis mali ominante, *prædixerit splendidissimi Collegij in prima Æde, Antistes seu Decanus; & pari fiduciâ constantique addiderit, à se tamen tanta mala visum non iri.* Fuit hic HENRICVS THEOBALDVS ab EYNATHEN, quâ verustæ & celebris prosapiæ lumine, quâ prudentiæ, justitiæ, vigilantæ, pietatisque ornamentis apprimè illustris. Familia passim nota est: ex qua nimirum plura & Ecclesia fulcra, Cæsariani exercitus magnanimitatis, & Patria justæ & prudentis administrationis exempla habuere. In hoc, de quo loquimur, licet omnes, quæ præfulem suo munere dignum reddunt, resplenduerint dotes; peculiariter tamen emicuit *Hospitalitas*, & erga peregrinos, præferim quocumque ex dicatis Deo ordinibus advenas, *Charitatis Christianæ significatio*: ita, ut non solum vulgaris se præberet; sed etiam sanctæ istius

DE AQUISG. DEFLAGRAT. 19

istius, & reproductæ ab Abrahami temporibus, aut fervente illo Apostolorum ævo liberalitatis speculum. Unde quid rari fuit amicis superis mortalibusque tam piâ animi benevolentia Senem divinâ irradiatum luce, imminentem hanc arbori securim prævidisse? ejusdem indicem nuntiumque alijs datum? ipsummet vero, ne ruinam adeo tristem, & horroris plenissimam videret, subtractum? Non debebat tam mœstâ rerum facie tristari, qui tot miseros recrearat; nec conspiciere interitum urbis, qui pro ejus incolumitate toties preces fuderat. Atque sic nullibi larga in egenos manus, & peregrinos benevolentia sine præmio. Aureæ Os illud aureum Chrysostomus: *qualem mercedem habet, qui propter Deum peregrinatur: talem habet qui suscipit peregrinantem: & qui propter Deum refrigerat, & qui propter Deum laborat.*

Non dispari multùm ratione *Canonici Regulares S. Augustini*, Monasterij sui & Templi, sub Patrocinio D. Ioannis Baptistæ, conservationem, à ferali ista ingluvie, quâ omnium opinione jam absorpta videbantur, adscribunt *Hospiti* apud se excepto, & ad biennium commoranti **FABIO CHRISTO** tunc Sedis Apostolicæ *Nuntio*, nunc exoptatissimo Possessore **ALEXANDRO VII.** quam commorationem ipsemet orbi notam reliquit per *Cultissimas Musas suas* in Hodæporico super perfectione Monasterio ex *Westphalia Aquisgranum*,

num, Anno M. DC. XLIX.

*Et noctis tenebris, dum manibus ara boarent,
Tectus Aquilgranum ingredior templumq; Ioannis
Baptistæ subeo; fessus ubi dulce levamen
Augustine tuis dat sacra Nepotibus Aedes.
Et finem nostro fert lux octava labori.*

De fructu verò ex hac eadem audi, quæ in litteris suis Reverend. admodum & spectatissimus virtute & eruditione D. Vincentius Rensing, memorati Monasterij Prior..... existimavi hæcenus, & adhuc, singulariter per merita ipsius (Fabij Chisij) templum nostrum, & domicilia circum circa, qua inhabitavit, esse conservata. Tota civitas putabat certo certius & nostrum Monasterium comburendum: & mirum dum appropinquabat ignis, è regione Monasterij per instinctum Dei aliqui viri roborati, restiterunt igni & cessavit quassatio. Nec video cur non meritò pia hæc insideat persuasio de ejusmodi Hospite: talis enim vita moresque ejus fuerunt, ut veluti ab his, sic multò magis à votis assiduò pro salute publica conceptis, nil aliud expectari debuerit. Ecce earundem adhuc litterarum verba, & familiaris & domesticum testimonium! interim cum à biennio, quo circiter apud nos resedit, ex familiari consuetudine satis mihi & pluribus alijs nota fuerit facta Angelica ipsius vita & sanctimonia. Hinc non tam in discessu; quò benedixit nobis & toti Monasterio Quibus congrua referunt; quotquot tum Monasterij, tum Colonia Agrippina, tum alibi interioris apud ipsum admissio-

nis,

nis, vitam ejus penitius introspectam habere potuerunt. Qualis Coloniae fuit è primis *Admodum Rdus & Eximius vir P. Franciscus Vekenus Societ. I. Sacrae Theologiae Doctor & Ordinarius ibidem Professor:* qui, ut incredibili ejus, quò in ter venerandum missæ sacrificium ducebatur, satisfaceret affectui, ejusdem missæ canonem, & arcaniora Exegeti piè eruditâ & disertâ illustravit. Sed ut hoc ex ejus, cui nihil negari poterat, desiderio: sic ut ultronei, & peculiaris cujusdam erga tantum toti Societati Patronum, & universæ Ecclesiæ lumen cultus non omitteret specimen, oblati ad *Divi Petri* solium jam evecto *Lucubrationibus suis* in primam sacrae Scientiæ partem, id effecit, ut *summo inter mortales summos honores* congratulari magnificentius nemo potuisset. Ex quarum autem vel solarum vestibulo tam cognoscitur ALEXANDER sanctitate morum hunc meritis *Apicem*; quam Author facundi, at veri encomiastæ; & in reliquo volumine DISPUTATORIS subtilis, & accurati titulum. Quæ ideo quoque præterire non potui, quia illa, quæ de Virtutibus *Chisiani* Coloniae (ubi eâ tempestate studiis meis sedes) laudatissimo rumore in vulgus etiam ferebantur, nunc ad omnem ALEXANDRI VII. mentionem cum tacita dispositionis illius æternæ admiratione recurrunt. Nec sine ullo memoris affectus indicio virtutum doctrinarumque claritudine Eximij Viri, *Francisci Vekeni* recordatione animum meum subire

fas fuit: sub quo magno *Magistro* me partem licet exiguam, partem tamen discipulorum tunc extitisse semper gloriabor; cuius demùm illa erga me benevolentia testimonia, ut quantumcunque eniterer extra nomina nomen meum vindicare, reperiri tamen non possem nisi inter æternùm debendi reos.

Præter hæc ex observandis Aquisgrani habetur, *Curia* à tecto usque ad ipsa fundamenta exusta, *equileum*, *fiducias*, & ea, quæ in extorsionem scelerum ultrices leges salubriter adhibent, *inventum esse* damno expertia. An ut hoc modo monerentur Reipub. Præfides, firmissimam Civitatis positam esse tutelam, ut benefacta præmio, sic scelera debitis affecta pœnis? nec quicquam magis ex restauratione eorum, quæ diruta, futurum, quam sedulam iustitiæ curam?

Ad extremum, oculos in se omnium cogitationesque convertit *Gymnasium humaniorum artium* sub moderatione Patrum Societatis Iesu, quod Collegio eorum & Templo in cineres redactis, ut alijs in vicinia, perstitit citra sui exitium & ullam Musarum querelam: nec aberrare eos à vero putem, qui assunt quod ideo, ut cunctis in Vrbe, quæ ad subsidia corporis spectant absumptis, ea tamen nemo erepta dolere posset, ex quibus cultus animi, & melioris vitæ institutio caperetur. Atq; hoc Phrontisteria sunt ingenuarum artium, quæ ubi homines claudunt, aut tollunt ex urbibus, in ijs barbariem regnare jubent, & indico
virtu-

DE AQUIS. G. DEFLAGRAT. 23

virtutibus bello, eadem portâ, quâ bonas litteras expellunt, Vitia catervatim immittunt.

Quæ duo posteriora apud Te memoro, *Virorum præstantissime*, tanquam acerrimum Justitiæ & tam variarum doctrinarum Assertorem. *Iustitiæ*: quando à Rege & Patria, jam pluribus annis impositæ Tibi moli tam in *Legationibus*, quam solito inter *Illustrissimos* Brabantiae *Ordines*, & celebri illo *Camera Bipartita* confessu: tum gravissimo *Syndici* apud Antuerpienses munere, eximia cum laude succollasti. *Doctrinarum*: quando, ut ipsemet super exactissimam Juris periciam, Mathematicas disciplinas, & altiores alias scientias; Historiæ, Politices, Poëtices, linguarum diversarum, omniumque *Elegantiarum* à *Pallade* velut *rudem* collatam possides: sic omnes, quos studiorum cultus & præsertim cum virtute junctus, commendat, colis: nec modo amore, & laude; sed beneficijs, & quovis incitamentorum genere ad eadem aquis. Nec solum hujus affectus privati à Te fructum ferunt; verum & *Athæneum* nostrum universum, quod non minore jure Te modo inter Patronos suos Veneratur; quam olim inter Alumnos suos ob ingenium & eminentes animi dotes, claritatem generis æquantes, suscepit & complexum fuit.

Quid ego? Deum immortalem precor, ut parem omnium Academicorum, imò totius Patriæ votis ætatem, Tibi duit: *Antuerpiam* vero lucidissimum

simum Urbium (ut vocare eam solebar *Lipsius* ex *Catullo*) *Ocellum*, & cujus *Edelbeerius* meritò *pupilla*, quam remotissimam semper esse velit iubeatque à deploranda hac *Aquisgram* Calamitate. Et Tuam imprimis Domum : illam Domum : tot artium nobilissimarū *Officinam*, ipsius honesti *sedem*, *Eru-ditorum Portum*, æternum *Hospitalitatis monu-mentum*, omnis venustatis, seu veteris seu novæ: *libraria*, *pictoria*, *scalptoria*, *vitriaria*, *fusoria*, *Aegy-ptia*, *Brasilia*, *Iaponica*, *Sinensis*, & ex qualibet mundi plaga congektæ, *Diversorium* : breviter: quâ dignius non vidi suo inquilino *habitaculum*. Includo huic voto etiam *Proasfia Tua Thurnina* : quia apud *Aquisgranenses* eâdem ignis impudentiâ horto-rum vidi defloratas amœnitates, quâ etiam ip-sarum domuum: quam sanè nullius vox aut stylus satis exprimer. Optaveram quidem ut hîc pau-lulum, *Pegaso* aliquo vecta, sisti potuisset *magnum* illud *Nobilis familiæ Tuæ*, *maximum* vero in suo sexu & omnium virginum choro *Decus*, *TERE-SA LEMENTIA*, non tamen *Persei*, sed solitis sibi instructa armis, *penicillo*, *celo*, *plectro*; ut his ean-dem tibi vivacius representaret: verum satius jam sit adeo tetra, & visu horrida ei oculos non gravasse. Vix enim nimis læta aut tristitia spectas-se, teneris virginibus extra noxam aliquam stetit. Fortè & non hac abs re *Ovidianum* illud:

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi.

Multaque corporibus transiione nocent.

DE AQUIS G. DE FLAGRAT. 25

Hoc modo saltem narrat *Carolus Manderus Hieronymum Boschium* appellâ arte suo tempore nulli secundum, ex deformium horribiliumque frequentî imaginatione, intuitu, & pictura, ante senium, senium sibi rugasque accelerasse; imo prorsus similem ijs, quæ crebrò mente & colore repræsentarat, induisse vultum; id est, factum quod pinxerat. Quod infortunium eò longius absit ab ingeniosa illa & venustissima *Nympha*, quo pulchrior mens in pulchro isto corporis moratur domicilio. Vivat potius & vigeat sine ulla de speculi mendacio querela ad Creatoris sui laudem, & familiæ splendorem, ultra annosæ etiam *Cumææ* vatis pulveres! In quem finem nostro *Apollini* (si quicquam tamen ab eo subsidij) *Hecatombâ* Epigrammatum, ultra ea quæ jam transmisi, litare non omitam. At versiculos, qui mihi hoc loco in contemplatione *fumantium puteorum* effluxerunt de miraculo Tui fontis, hâc vice nondum expecta: nimis enim adhuc fumum redolent & vapores sulphureos. Prius eventilabo. Eodem quidem laborat odore *Prosopopœia Urbis Aquensis*, quam hic comitem accipis: sed spero ob lachrymas faciliore donabitur veniâ. Vale *Vir Illustris*, & me inter tuos numerare perge. Aquisgranî, rectius, ex eo loco ubi Aquisgranum fuit. III. Nonas Octobris 1600. 1646.

PROSOPOPOEIA
VRBIS AQVENSIS,

quinto mense ab Incendio.

Qui solet humanis cæcum se fidere rebus,
Ac velut in fragili spem posuisse vitro,
Nec metuit tristes momenta per omnia casus,
Atque procul subitas credit abesse vices,
Me videat ; videat saxis avulsaque saxa ;
Et vacuos campos , Vrbs ubi tanta fuit.
Hæc ego, quæ populis quondam terrisque superba,
Dans varijs leges iuraque summa, fleti.
Hæc ego (præ sortem !) pedibus nunc subruta calcor,
Nec nisi quam bustum sum tumulusque mei.
Omnia flamma tulit, celsa discrimine nullo
Turres, & tuguri pauperis antra iacent.
An veluti nanos pariter mors atque gigantes,
Et pariter validos invalidosque metit,
Sic mortis vis est, ac insuperabilis igni ?
Cuncta nihil mors est vel nisi flamma vorans ?
A priscis sæclis altum surgebat in auras
Publica curarum consilijque domus,
Extenso præstructa foro, statuisque præaltum,
Quæ fora prospectat, condecorata latius.
Sectis strata solum, secto circumdata saxo.
Plus solidi nullus mons habuisse queat.

DE AQUIS G. DEFLAGRAT. 27

Mille laborantum longo qua tempore dextras
 Lassarat. dignum Rex cui structor opus!
 Sed nihil heu! avida potuit defendere peste.
 Nunc opus hoc cinis est incubuitque sibi.
 Salvos maiorum servant a scrinia senlus,
 Crebraque regali cera notata stylo,
 Tot monumenta vatum, quorum per secula Musis
 Laus canitur, quorum lausque canenda manet,
 Quicquid & ulterius pretio reparabile nullo est,
 In fumos abiit fumigerosque notos.
 Qua spectabantur pictis isarota figuris:
 Aula, Cæsareos qua stupere gradus,
 Purpura quas fecit toties Sceptrumque verendas,
 Quaeque triumphato laurus ab hoste suis:
 A plus centenis rasescens numerantia lustris
 Atria, terrifico plena decore loca:
 Et venerandorum Sedes ex ordine Patrum,
 Horrens arcanis & penetrata suis,
 Nulla sui retinent lapides vestigia prater;
 Quævis tamen haud totis flamma pepercit edax.
 Majestas quibus ipsa Lares habitavit Honorque,
 Depasto restant fæda decore specus.
 Omnia contristant oculos fuligine circum
 Obsita. Funesta mortis ubique color.
 Hæc puto stridentis facies fornacibus Æthæ,
 Quæ cudent nudi fulmina parte Fabri.
 Primaque Romulidum fuit illo curia vultu,
 Cum post barbaricas non suis ulla faces.
 Extorres Vejis quando rediere Quirites,
 Nec Romæ Romam plus reperere suam.

Verba

28 BERNARDI HEYMBACHI

Verba quid & lachrymas tectis impendo tot unis?
 Sors ea, quâ tandem tecta fuere, fuit.
 Flamma vorax, iunctis & sævi viribus Euri
 Fecerunt sortem cuncta subire parem.
 Hic dum subsidij accurrit turba ferendis,
 Res ibi, clamatur, res ibi poscit opem.
 Emicat hic summis, hic emicat ardor ab imis;
 Hinc medio: nullâ non ibi parte furit.
 It stridor calidas æstus crepitantis ad auras,
 Cui fera ventorum murmura mixta fremunt:
 Nec patet undanti tectum caligine cælum:
 Et subitas nubes sol tenebrasque stupet.
 Interea vasto procumbunt fragmine muri,
 Precipitesque cadunt igne sonante trabes.
 Ardua subsidunt signis tabulata perustis.
 Quaque domus; mox sunt nec simulacra domus.
 Tam celer est ignis quam perniciosus, & qua
 Nunc ardere, simul iam cecidisse vides.
 Impius ac æquè Superum bacchatur in ædes.
 Nil divis structum cultibus esse iuvat.
 Circum flammanti cernuntur vertice turres,
 Araque (pro facinus!) libera nulla manet.
 Nec vis ulla malum potuit tardare tremendum.
 In tot aquis nulla, qua tueantur aqua.
 Humentum mihi tot Nympharum Numina terris
 Festinant medijs oculuisse caput.
 Convolat, unanimoque quidem conamine vulgus
 Et magnis contra nisibus ire parat:
 Pars cita fert fontem, pars hunc affundit, & imbre
 Veloces tardat continuante focos.

Pars

DE AQUIS. DEFLAGRAT. 29

Pars, quo deficiant elemento pabula divo,
 Ligna ferè totâ subtrahit usta manu:
 Pars infra properat, pars scalis sudat in altis.
 Ignavum nullum tanta pericla sinunt.
 Mulciber ast rapidus superat: labor irritus omnis.
 Mille nec heu! miseram vota precesque iuvant.
 Turba cadens animis, ac linquens ignibus ignes,
 Ex conclamata corripis Vrbe fugam.
 Qua via facta, ruunt puerique, virique, senesque;
 Et matres gestent pignora, sive trahant.
 Quosque diu pigris morbi fixere grabatis,
 Nunc plus quam, vehemens sic metus urget, eunt.
 Terra tremit cursu, mastus ferit abera planctus,
 Vltimus ac mundo si foret ille dies.
 Hac de Vicinis qui cernit montibus, ista
 Pergama sunt verè, cum caperentur, ais.
 Igne reluxerunt ita tunc Sigœa, Penates
 Et sic Dardanij deseruere suos.
 Aufonys sedes facibus sic arsis Elisæ
 Quando sub insuetum noluit ire iugum.
 Divitijs sceproque potens urbs maxima Tungri,
 Nulla per Hunniacos sic propè facta rogos
 Traiectum quando profugos excepit amicum,
 In tantis solum stans remanensque malis.
 O decus ô Molæ! mihi quod reticere nunquam
 Ex me dum restans vel lapis ullus erit.
 Ate, cum flammis annona perisset avaris,
 Nullaque priva foret, publica nulla penus,
 En! adsunt plenis cerealia munera plaustris,
 Totque vetans diram damna gravare famem:

30 BERNARDI HEYMBACHI

*Sumite vectores dicunt ; hac dona Tricentis
 Sunt Urbis : dolor hunc vester & is dolor est.
 Circumstans veluti cœcis cecidisset ab ipsis,
 Accipit panem, fercula grata, cohors.
 Me simul ac pallens refoveri sentio vulgus ;
 Trajectum distes & mihi sorte precor
 Munus & hoc vobis cœlesti munere penset,
 Urbis qui regimen consiliumque, Deus.
 Inclute quos inter primo numerabere iure
 Hæros de Rheno nomina prisca trahens,
 Summus laude, vocent duri discrimina Martis,
 Post fera seu placida clastica, pacis opus.
 Vos & honorato virtus splendere Curuli
 Quos facit & columnen grande Senatus habet.
 Tu, cuius dudum iam norunt limina falces
 De Grati, Patria vota salusque tua.
 Et Tu quem merito lex laudatumque Tribunal
 Montaigne Themidos frena tenere docent:
 Cui Socer emeritos Genero dum cedis honores,
 Maior sit factio quo minor esse cupit.
 Groulartique pari tollens gravitate Secures,
 Ac vnam Socio jure manuque movens.
 Vivite felices ! & vestro flamina ducant
 Trajecto sati candidiora Dea.
 Hac mihi sit qualis, qualis fortuna ferenda est,
 Quamvis sit quâ non durior esse queat.
 Heu mihi quo vertam turgentia lumina ! terras
 Aspiciam ! terra plus cor, & usque gravant:
 Suspiciam cœlos ? & sic à sede revellunt
 Cor mihi tot Superis templa dicata cinis.*

DE AQUIS. DE FLAGRAT. 35

CAROLE, quem MAGNUM Virtus heroica dici

Fecit, syderijs inseruitque choris,

Hoc fuit Aula domusque loco tua? condita iussu

Et curis Aedes illane, DIVE, tua?

Illa superfulgens qua stabat vertice cunctis,

Ingens, VIRGO PARENS, gloria structa Tibi.

Nec minus illa fuit flammatarum prada furori.

Prò flammis tantum quis licuisse dedit?

Celsa locis turris, qua conspicienda remotis,

Nunc turris nullo est conspicienda loco:

Eraque per terram rivis fluxere canora.

Et sacra Crux summo precipitatur humi.

Qua sæclum superent è plumbi culmina lamnis,

Temporis exigua nulla fuere morâ.

Et licet edurus, non est sine vulnere fornix,

Turpeque pars damnum, quam tegit ille tulit.

Vix illibatum est aliquid. Vulcanius ardor

Quod finit, integrum non tamen inde finit.

Corruptior nocet afflatus, lachrymabilis atram

In partem damni proxima quæque trahens.

Ergo nunc super astra tenens cœlestia regna,

Hoc pietatis opus, magne Monarchæ, tua est.

Cui * Mitræ, plenus quot fulget solibus annus,

Splendorem primis contribuere sacris;

Colla quod inflecti, posito diademate, Regum

Aras conspexit sæpius ante suas,

Innumeros hominum stata quod per tempora cætus

Excit ab ignotis, attrahit hucque plagis;

* voluit Carolus M. interesse consecrationi hujus templi tot
Episcopos, quot dies in anno. Histor. Episcop. Traject.

32 BERNARDI HEYMBACHI

Et de quo reduces dicent : Incendia mundi
 Debuerant istam præterijtse Domum !
 Infelix ! tandem quid singula tento referre ?

Omnia sunt unum, sacra, profana, Chaos,
 Si verbo dicam : perij, tunc omnia dixi.

Non est hac strages, qua memoranda satis.
 Non oculos cuiquam siccos hac linquet imago :
 Nec nisi flens hostis viderit illa meus.

Antris prospiciat resperis cæde Procultes,
 Tali non poterit non genuisse statu.

Tot mecum fontes lachrymis per flumina manent
 Nil est quo dolor hic se satiare queat.

Illis * Partheniæ maduerunt imbribus ora,

Et fluxit calidis auctior Albis aquis,
 Vltiores quando certarunt ignis & ensis,

Laus cuius potior sternere plura solo.

Ast ego quid merui ? certe non Cæsaris iras
 Accendi, quâvis officiosa viâ.

Si qua negat iustas leges, & frema remordet,
 Quas patitur flammæ, imputet illa sibi.

Ex quo Victrices Aquilas ego iuraque novi,
 Haud veneranda mihi iura fuere magis.

Europæ vitam maiestatemque Manarchæ
 Credita non frustra tot voluere mihi.

Nec sylva nec aqua fecerunt Carole solum,
 Ut traheres tantas hâc regione moras.

Obsequium studiumque magis pellexit. honores

Huic valli cultus dantur ob ante datos.

Nec

* Magdeburgam Parthenopolim volunt vocatum à Druso
 Conditore ob venerem partheniam ibi cultam.

Nec servata minus via religionis avita,
 Et rectè ducens, quâ monet ire, fides.
 Quam mihi non animus defendere defuit armis:
 Ac is nuper adhuc: * Spinola, teque Duce.
 Atque licet proprijs steterim tunc viribus impar.
 Cæsaris & Regis laus meruisse fuit.
 Nec puto me culpa iudex damnaverit aquus,
 Errans quod populi portio parva mei.
 Nam quem tam vigilans cultura coercet, ut ultro
 Non surgat tribulus perniciosus, agrum.
 Acolij mare dum miscunt vertuntque tumultus,
 Alludit, quamvis ars regat ipsa, ratum.
 Sic tempestatis facit hanc violentia labem.
 Quod fero, non mentis, corporis illud onus.
 Sique sit hoc Superi, misera tunc damna levate:
 Sin nimus, aeternum me cinis iste tegat.
 Quid video? novanum populo molimina nostro?
 Incipit & facies iam redyisse prior?
 Fallere quos non est, & eâ quos lege vocavi,
 Hac est, restituor quâ mihi, Vestra manus.
 Ergo novâ Cives spe restaurate Penates.
 Non ita quin relevent Numina blanda premunt.

Ex Busto Aquisgranensi

Pridie Eid. Octob. 60. CIO. LVI.

* Anno XI V.

IACOBO DE EDELHEER

Bernardus Heymbachius S.D.

A Nupero statim reditu Bruxellis, & ibidem à Te, *Vir Præcobilis & Ampliſſ. me*, remiſi *Baccho-paignon*, ſeu Elegos, quibus in ſtatuam marmoream Leniſſimi iſtius *Patris Lyæi*, recens *Thurnini* tui ornamentum, luſeras. Luſeras autem? Oderint me omnes Muſæ, quas Tu tam propitias habes, ſi quicquam venuſtius, etiam cæſis pluteis, ullus extruderit. Et ita quidem tunc coram inter diſcumbendum, ubi percurrendos obtuleras. At nunc eo ſidentius iudicio iſti inſiſto, quo plures ei accedere audivi, & tales, quibus me exploratius longè quid dignum

— — *Hederis & imagine macrâ.*

Unde ſicuti jam dudum petitiones multorum irritas eſſe ſiſtiſti: ita vide ne proprius Tuus tandem Genius habeat, in quo tecum agat injuriarum, ſi *Thurnini Descriptionem*, venæ adeo elegantis & benignæ ſcætum, prohibeas ulterius publico. Vel an impingenda, remiſſioris nimirum ſupercilij, dica gravitati, quam muneris ampliſſimi, quod obis, dignitas exigit, & omnes curæ cogitationeſque Patriæ conſecrata? Nihil minus. Aut à quo? Forte vervecum populari aliquo, & *Βοιωτικῶ* γῶ: ſed ſatis conſtat quam longè abſint.

sint à rectè facientibus, qui pro nullo pollicem premunt ad quod ingenium attollere non possunt. Pro aquilis Parnassus est: quicquid vero ex palustri avitro, altiora non meditatur, quam ranæ, quibus insidiatur, subsulent. Quid maius, aut occupatius Orbis habuit Octavio Cæsari, Hadriano, & Carolo Magno, Augustis? attamen his in tanto fastigio & negotijs horæ subcelsivæ non defuerunt, quas in Poëticas commentationes (quarum aliqua etiamnum legimus) collocarent. Quos Cæsares In hac Patria nostra, illius ejusdem nuper Athlas, VWilhelmus Leopoldus, Cæsarum sanguis, dubito an gloriosius fuerit æmulatus, an felicius superarit. Quippe cum Martis assidui & tam gravis onus sustineret; illa armorum fragori tubarumque clangoribus intercinuit, quæ per omnem post futuram ætatem eruditorum animos mulcebunt. Ad qualia audire aveam quid reponant, quibus pro laurea Appollinari plebeij tantum vertices: quique ipsum Musarum nomen velut putidum aut à serijs solito detineri minus dignum, ab omni Ponderosiorum occupationum societate, principum Consilij, Reipublicæ habenis, ad maleferiatos ludricorum aucupes relegant. Sed à viciniore igne adhuc facem desideras? Accendère jam dudum Sceti, Vriendtj, Catsj, & modo adhuc Nobilis & Magnificus Theodorus Graswyncelius, Splendidissimo Camera Bipartita confessu, & necessitudinis etiam ante contractæ nexu colligatus. In

quibus virorum præclarissimis tantum abest, ut
 tum animi generositas, tum ingenij claritudo,
 tum muneris splendor à poëticis curis, cum usu
 publico communicatis, quicquam senserint de-
 crementi, ut etiam gratiora omnia ista & mira-
 biliora evaserint. Horum ergo & talium, pluris
 apud Te sint *vir Amplissime*, Vestigia, quam cape-
 ratæ quorundam *Platoniorum* abortuum frontes,
 & *ostracismus*, non minus Poëtices dignitati, quam
 olim *Aristidis Iustitiæ* iniquus. *Catonis* sententiâ, eaq;
 sapientissimâ, eminentium in publico non solum
 constare alijs decet labores, sed horum etiam la-
 xamenta. Inter quæ, & non alibi pono, quicquid
 à Te unquâ *Parnassico* isti datum cœtui. Sic ipse
 met vidi præsens: nec uno in loco. Præcipuè in
Thurnino tuo: ubi miratus fui non minus largâ sca-
 turigine Tibi versus fluere, quam fontes: & eo-
 dem modo in numerum obedire obvios quos-
 cunque cogitatus, & ipsum *Horti* solum in uber-
 tatis amenitatumque tot prodigia. Ita fieri
 amat: quæ mediocribus ingenijs prora & puppis,
 quod dicitur, studiorum esse debent, ut paulu-
 lum ultra littus eluctentur, illa diviniorebus men-
 tibus, & quibus in ortu suo blandiore vultu *Mel-
 pomene* arrisit, alia agendo felicissimè peraguntur.
 Cujus fidem facit in ijs quæ ex *Helicone* Tuo, na-
 tivus quidam lepor, & inaffectata numerorum
 concinnitas, eoque decore intertexti sententia-
 rum uniones, ut ad nullius possit aurem esse

Sulmonensis ille, Princeps in hoc censu; ad cuius non sit tuturus *Edelheerius*, quoties eidem lubet accinere. Probè scio *Eximie Virorum*, quod modestiæ apud Te gravatæ soleam reus agi, quoties iussis urgentis veritatis in mentione similium facienda paulo obsequentiore me præbeo: attamen quam propterea in reatu esse non merear, probabit *Elegiacus iste affatus*, quo meritò prædicare potest hic homo se dignatum fuisse ab *Edelheerio*, primi inter eos ordinis, quos recti cultus, publici studium, eruditionis amor, & famæ integritas, dudum venerationis æternæ tabulis inscribere: quem vero non solum hîc profero, ut luculentissimum iudicio meo suffragatorem: sed simul aliorum, ex eodem nido, plus quam volatui maturorum illicem: quod si tamen illicium adhuc perdetur, rogo, ægrè non feras si citius Hendecasyllabi & Senarij, & quicquid pedibus tantum in Poëtarum castris incedit, ad Te catervatim non cesset ititare, maiorem etiam importunitatem minari; quam Tu cesses benevolentiae in omnes & per omnia, hoc, sed insigne profecto, ejusdem auctarium, negare. Quo fine & *Responsum* nostrum subjunxi, tum, ut omnes norint, eadem me jam tam diu, & toties, & tot modis petere. Porro *Elegidion* cum pauculis nonnullis, quibus idem illud *Thurnini* tui *Numen* salutaveram, transmissi adjunctum illis, de quibus sub initium: sed an ad Te pervenerit, dubito; cum primum

Bruxellas perlata sint, postea Mechliniam, in quorum locorum neutro Te demum tunc fuisse intellexi. Quod si tamem acceperis, condona quæso hiulcis, illepidis, & prorsus infra *statuam*: nam quamquam communiter nostra similis sint monetae, hæc tamen peculiariter talia, ex successione Currus Bruxellis Lovanium in quo excussa. At cui in itinere illo, & tunc, cum Musis licuisset muginari, quando tot prædatrices Harpyæ totam mentem manusque à pugillaribus & graphio ad gladios avocabant. Interim me, quod sanguine non viso, aut sine deplumatione Lovanium receperis, beneficium fuit *Amod. R. di & Ampliss. mi D. de la Margelle, Præfulis ad D. Gertrudem,*

Equis per hostem qui rapuit citis

Ensis Poetam vix memorem sibi:

Et eodem ferè modo, quo Horatius à Mercurio se alicubi calenti periculo ereptum fatetur. Superi tam benevoli Protectori grates referant, Ipseque Apollo triplicem ejus *Mitra* lauream superaddat, qui tanto eos prosequitur affectu, quos scit meliores studiis curas suas devovisse. Cæterum è nostris quicquid est, si nihil videatur dignum quod Prætoria Tua, tanquam cymbam alligatam secum trahat in altum, immola Neptuno, aut Vulcani: aut si forte pro pœna lenienda intercedant, quam erudita tam mitia & amica nobis pectora, *Sylvius & Bisthovius*, ablega ad Moluccas insulas, piperis patriam, vel ad *Antyciræ* hellebori; nihil moror

moror. Unicum exitij genus deprecor: ne fiat à
tubulis accendendis fumosæ *Petopetarum* nationi.
Cur abhorream ab hoc fato, eadem mihi causa
est, quæ Britanno Epigrammatographo. Verum

Eho, iam satis est! eho! Libelle!

Verius quam Epistola, Attamen spero, *Vir huma-*
nissime, sinistrè non accipies *τριγόνος λαλίστηρ*, &
apud occupatum, loquacitatem, quamque nil
aliud excusare queat, quam solita Tua benevo-
lencia, unica causa, cur hæ non sint primæ vices,
quibus apud Te ineptio. Vale. Lovanij, inter
libellos nostros, X. Kal. Aprileis ∞. MDCLVII.

IACOBVS DE EDELHEER

Bernardo Heymbachio.

S *I quis Arenosas Arabum superare procellas,*
Mogolidum Belgis exhibiturus opes,
Aut cupit Occidui vel Eoi limitis oras,
Regnaque Tartarico parta videre iugo,
Non subito tanto rapitur temerarius aestu;
Sed pluteum cadit, præmeditando viam.
Perlegit Ortelium, Mercatorisque labores;
Forsitan & plures consuluisse iuvat.
A Sinicis venit si quis novus advena terris,
Aurifluas tostus quâ bibit Indus aquas;
Aut liquit Brasilos hostili sanguine pastos,
Nuda recusantes corpora veste tegi;

Quæritur & colitur primates inter Amicos ,
Nec, nisi de minimis usque rogatus, abit.
Pinguntur mappæ, meliorum signa viarum,
Iudicio experti discutienda viri.
Sed cum pensanti cessare pericla videntur,
Intrepido tentat calce viator iter.
Nescio quis seros Genius mihi fascinat annos,
An redit in primos nostra senecta dies?
Est animus puro trans nubes æthere pasci,
Summa caballini scandere saxa iugi.
Castalidum sedes, caligantesque latebras,
Et loca Thymbræo trita videre pede,
Dulcis ubi tremula respondet tibia voci,
Cælestes luco restituente sonos.
Vnde Sacri latices, per inhospita tesqua ruentes,
Arida gramineo prata virore beant.
Murmur aquæ streperum lenit philomela cadentis,
Phæbeos cantu sueta referre modos.
Hoc mihi sæpe sitim liceat si fonte levare,
Vatibus optatâ sortis, beatus ero.
Quo feror? infirmos disyactus vota morantur,
Et nocet incepto multa crepido meo.
Aspera, & acclivis, multo superanda labore
Est via, vix ulli penè terenda seni.
Te tamen Heymbachi, fido mihi corde recepte,
Pymptoei dudum mysta decusque chori.
Quem totus primis aluit Parnassus ab annis,
Et fovit tepido turba novena sinu,
Ductricem precor ut tendas ad culmina dextram,
Aut qua sit moneas, mollis ad alta via.

Quis sit in ambiguo servandi tramitis ordo,
 Quo bene vitentur prona pericla modo.
 Quæ sit in obscuro. Sed quid? tremuere repente
 Circum phæbeas laurea ferta comas.
 Arbitror Aonias voto favisse sorores.
 Entheus à summo spiritus axe venit.
 Et sterilis quondam, nunc diò fertilis æstro,
 Ingenio paret vena benigna meo.
 Forsitan in somnis clementi Numine rapti
 Bellerephontheos hancimus ore lacus.
 Quicquid id est, magno debetur adorea Phæbo;
 Dum rapit ignotum sub sua castra senem.
 Virginea calata manu mea Deurnia Tempe,
 Iussit inaequali me celebrare pede.
 Sictibi perfacili mittuntur scripta labore
 Carmina, iudicio sed polienda tuo.
 Si tamen est aliquid videas quod posse poliri:
 Sin minus, ut rapido sint precor apta rogo.
 Hoc mihi sinceri censetur munus Amici
 Alter ut alterius experiatur opem.
 Interea Tibi sit, mihi quam precor esse salutem,
 Communi constet firma salute salus.

Ex Regia Solis in Deurne vi. Kal.

Mart. ∞. 130. LVI.

IACOBO DE EDELHEER

Bernardus Heymbachius.

M Ensuram factis Edelheeri nominis implens,
Rara Brabantigenum laus, Heliconii Honor.
Gratius obscura post nubila tristia noctis
Solis ab Eo non redit axe Iubar.
Non Ver iucundum post longa frigora brumæ :
Quem venit digitus littera scripta tuis.
Littera pegaseo quæ nectare stillat, & ipso
Quæ nihil ex Phœbi dulcius ore fluit.
Fallitur Aonium montes, habitare nemusque,
Antraquæ, qui tantum credit, & arua chorum.
In populi tecum turbis versatur & astu,
Sunt fora mox ipsi, Tu fora quando teris.
Curia fortè vocat? se credit & ille vocari;
Parsque sedet Patria turba novena Patrum.
Aequora nec terrent: Batavas comitatur ad oras,
Voce truces fluctus temperat atque cheli.
Ardua LEGATI dum munera fungeris, ipsa
Munus obit Tecum Calliopea suum.
Quando Bipartiti fulges pars ampla Senatus,
Dordracum positâ quem modo Lege vider:
Est quoque Pierius cætus quod conferat illic:
Ac ibi Musa tacens, non tamen illa tacet.
Hinc ea mæestas oris, frontisque serenum,
Atque Trifæclisenis mella dispersa senis:

Hinc

Hinc sedet imbratum certo libramine pectus,
 Et tutum, quicquid fors in utrumque struat.
 Lenius hinc quoque consilium, nec in aspera vergens.
 Quisquis amat Musas lenior esse solet.
 At cum suspensis, assueto pondere, curis
 Ad sese tandem mens relevata redit.
 Tunc sacra, tunc totam rapit in commercia Phœbus,
 Attonitæque Deo proximior replet.
 Sic fuit ad fatum, fatum heu! super omnia chara
 Coniugis, edomitus carmine quando dolor.
 Quando Permessi nepenthes fonte petitum
 Manantes lachrymas, sola medela, stitit.
 Sic est solvendi nec funere, pignus amoris
 Aeternum Tempe Deurnia quando canit.
 Enodes Elegi! doctæ quos Palladis artes
 Excipiant, digni materiaque sua!
 Quos ruris Genius simul inspiravit amœni
 Pollice cœlesti plectra fidesque movens!
 Iam tum spectatur pubis mihi lusus agrestis,
 Seu iaculis album, sive petatur avis.
 Iam structu faciles mensæ; nec ab arte choreæ,
 Dum regit ignaros canna sonora pedes.
 Hic carpo gravidis peregrinas vitibus uvas.
 Bacche favens gelido tam potes esse solo?
 Inde trahunt herbæ, florum vocat inde voluptas.
 Hæreo, plus an odor, plus capiatne color.
 Lumina delicijs pascō mox undique Ruris,
 Pœstanus longè quo superatur ager.

Ad

Ad quod fecundis nihil es Corcyra viretr;
 Vester & Hesperides, par nihil hortus habet.
 Sed cur illud abest, quod carmine dictus Herili
 Nondum sic sis Heri publica fama sui?
 Anne novam quod adhuc limam desideres Ipse?
 Tamque polita, minus censeat esse tamen?
 Sis vel ad incudem redeat, me Iudice, Naso,
 Et Tu cum numeris culte Tibulle tuis.
 Cera Philœteis & Tu Romanâ corymbis
 Cui certat, vinctum quemque Lycori trahis.
 Sed non ulterius digitos mordere necesse:
 Iam nitet extremâ docta tabella manu.
 Donentur claudo Veneris, qua clauda, marito,
 Et tantum videant, quo peritura, diem.
 Vos teretes ELEGI, curæ prodite venustæ,
 Vere novo vestrâ vernet & Hortus ope.
 Id Venus, & Charites, & læti Numina Ruris,
 Sicelidumque iubet cum Duce tota cohors.
 Ipsi vel potius Ver este, caloris iniqui
 Cui vis nulla feret damna, nec ulla gelu.
 In quo perpetuâ florebunt nomina famâ
 Quos Vati sacro fœdere iunxit amor.
 Bis thovius primò, lectos, Sol inter Amicos,
 Ac in Apollineo stella cœrusca polo.
 Plurima laudatæ cui iam per tempora vitæ
 Non nisi quam Patriæ sœnore culta Themis.
 Est sibi ius merces: devotaque pectora Musis,
 Talia se paribus moribus esse probant.

45

At Tu Bisthovij Cultor, cui solus amoris
 Fons amor, & nunquam qua temerata fides,
 Vsurâ fidi Capitis, Pyladisque probati
 Ne vel in Elysijs destituaris agris.
 Vnanimis nexus, & amica fœdera vite
 Tyndaridum Cœlis astra secunda dabunt.
 Et flores ultro, cantatus proferet Hortus,
 In quibus inscriptum NOMEN VTERQUE
 leget.

Lovanij, ex Collegio Bussidiano
 Trilingui 60. 100. LVI. III. Eid.
 April.

IACO-

IACOBO DE EDELHEER

Bernardus Heymbachius S. D.

S Aturni superiore, *Prænobilis & Ampliſſime Domine*, humanus & ſupra ætatem indolis, Adoleſcens N. *Kiffelt*, Nepos Tuus, hîc Lovaniij indicavit, ſe Antuerpiæ futurum proximis diebus. Naſtus ergo tam bellam occaſionem, *ipſius manu Tibi* offero levidenſe hoc ſcriptum. & Ipe iſtâ, ut aliquam ſaltem à *Tradente* fœneretur gratiam, quæ alias certè ei, aut nulla omninò, aut admodum ineſt exigua. Mitto tamen ob rationes jam in prioribus adductas, & quâs merito apud Te ſummi ponderis eſſe debere mihi adſtipulabuntur, qui ſcitiffimum illud *Tuum de Thurnino Poëmation* oculo vel unquam delibarunt. De Aquisgranenſium exitio, litteris Amicorum plura heri edoctus fui, & quæ ſilentio minimè mancipanda: ſed jam tum noſtra prælum deſeruerant. Quamquam non tantoperè curandum: ubi enim tam exacta meſſis, ut nullus maneat ſpicilegio locus? Quæſitiſſimæ inſtructionis *Bibliothecam Tuam* utinam tot diebus carcerem haberem, quot ullus apud *Plautum ſervus piſtrinum*, aut exilium in *ferricrepidinis inſulis*, ubi lapis lapidem terit! Et ita quidem, ut poſitâ ſilendi lege cum nullo ſermonis permiſſa mihi eſſent commercia, quam mutis
iſtis

istis *Alphonsi Regis consiliarijs*. Libris, inquam, & pluribus, quos in hoc nostro, licet studiorum emporio, sæpè quæro; raro, aut nunquam invenio. Unde quoties memoriâ recolo, annuas jam, quas inter eosdem tùm *Antuerpiæ*, tùm in *Suburbano Tuo* ad hanc, transegi, novâ toties me sentio perfundi voluptate, & voce domesticæ Tibi Poëtæ exclamo:

O Rus! quando ego te aspiciam? quandoq; licebit

Nunc veterum libris, nunc somno & inertibus horis
Suavissimis, puto, Tecum, *Vir doctissime*, de diverso studiorum argumento confabulationibus

Ducere sollicita iucunda oblivâ vitæ?

O noctes, cœnaque Deum!

Quas dum, vel sic regusto, nil ultra sapit, aut lubet. Vale ad *Aquila senectam*: sed simul *Olorinam*, jucundam semper

Carminè, nec Citharâ carentem,

Lovanij, iv. Kal. April. ∞. 1700. LVII.

F I N I S.

